

Quidam sortiti metuentem sabbata patrem
 Nil praeter nubes, et coeli numen adorant,
 Nec distare putant humana carne suillam:
 Romanas autem soliti contemnere leges,
 Iudicum ediscunt, et servant ac metuunt ius,
 Tradidit *arcano* quodcumque *volumine Moses;*
 Sed pater in causa, cui septima quaeque fuit lux
 Ignava, et partem vitae non attingit ullam.

§. II. Argumenta interna pro Pentateuchi authentia.

Recolenda hic sunt quae alias diximus de indole ac valore argumentorum internorum in huiusmodi quaestionibus; praecipue vero recolendum est 1° Interna indicia in quibus haec argumenta consistunt non esse seorsim, seu, ut aiunt, *distributive* accipienda, sed *collective*, cum ex eorum numero, unione, et conspiratione argumenti valor exurgat; 2° Eadem indicia non tantam probandi vim habere quantam externa argumenta, ideoque in horum subsidium et confirmationem afferenda esse. Quae quidem duo cum in ceteris libris tum praecipue in Pentateucho expendendo praee oculis habenda sunt. Cum enim quaestio sit de opere tam remotae antiquitatis, in tanta monumentorum profanorum inopia, in tanto cognitionum defectu de rebus ad vetustam illam epocham pertinentibus, impossibile est plenam et numeris omnibus absolutam demonstrationem ex internis iudiciis conficere. Ex alia vero parte multa insunt libris Pentateuchi quae originem eorum produunt, et lectorem praediuiciis non occupatum ad Moysen recta ducunt. Quoniam vero non omnia haec indicia eiusdem generis sunt, aut eundem valorem habent, ea distribuemus in tres classes, per quas veluti per totidem gradus ad Moysen auctorem perveniemus.

I. Ex internis iudiciis apparet Pentateuchum non esse opus plurium auctorum ac plurium aetatum, ita ut paullatim successivis additionibus excreverit, et ad praesentem formam redactum fuerit, sed opus esse *unius auctoris*, qui illud quacumque demum ratione composuerit, ac digesserit in ea forma quam nunc praesefert. Indicia ex quibus id enitur revocari possunt ad *unitatem compo-*

sitionis, quae in Pentateucho elucet, quaeque ex rei natura, et ex criticorum consensu arguit unitatem auctoris, qui librum exco-gilaverit. Sane, inspectis atque inter se comparatis partibus maioribus Pentateuchi, unitas operis manifestissime constat. Imprimis enim liber Geneseos viam sternit ad sequentes operis partes intel-ligenlas, quae sine illo inexplicabiles forent; sequentes tres libri totam Legis substantiam denique recapitulationem tum Legis tum obiectum: Deuteronomium denique recapitulationem tum Legis tum historiae continet, et exhortationes ad Legem servandam. Genesis est veluti *introductio* Pentateuchi, Exodus, Leviticus et Numeri veluti *corpus* efficiunt, Deuteronomium est totius operis *conclusio*. Et si rhetorice loqui velimus, in prolixa hac oratione Genesis locum tenet *exordii*, sequentes tres libri *contentionem* exhibent, Deuteronomium *anacephalaesim* ac *perorationem*. Si vero magis particulatim libros ipsos expendamus, quamvis videamus facta ac praecepta non semper accurato ordine exhiberi, animadvertimus tamen tantam existere inter partes historicas et partes didacticas connexionem ut invicem sibi lucem affundant, nec ulla ratione possint seungi. Unitas ergo compositionis unitatem auctoris arguit.

II. Ex internis iudiciis colligitur unicam illum Pentateuchi auctorem *antiquissimum* esse, et ad prima Iudaicae reipublicae tempora pertinere.

Constat id 1° ex ipsa *lingua* qua utitur. Omnes sane sciunt lin-guas, quae longo saeculorum spatio vernaculae fuerunt, alias atque alias mutationes decursu temporis subisse, ita ut quisque lingua-rum illarum gnarus diversarum aetatum scriptores ex stylo ac lingua facile discernere possit. Ita ex. gr. qui latine sciunt, numquam auctores saeculi Augustaei Phaedrum, Tullium, Caesarem etc. cum sequioris aevi scriptoribus Apuleio, Sidonio, Capella aliisque con-fundunt; idque a peritis fieri potest etiam in iis casibus ubi recen-tior scriptor antiquorum loquendi modum imitari conatus fuerit. Haec si ad rem nostram transferantur, apparebit Pentateuchum antiquiorem esse ceteris libris V. T. antiquiorem Prophetis, Regibus, ipsoque Iudicum libro. Imprimis enim *archaismi* passim in Pentateucho occurrunt sive in *vocabulis*, sive in *formis*, quae nusquam vel rarissime in recentioribus scriptis apparent. Ad *vocabula* quod attinet haec pauca exempla sufficiant: vox כָּבֵשׁ (*agnus*), quae in posterioribus libris scribitur constanter כֶּבֶשׂ

in Pentateucho frequentissima est; pro voce זָכָר (*sachâr*) saepe occurrit vox זָכוּר (*sachûr*) puta Deut. XVI, 16, XX, 13 ceteris scriptoribus inusitata; item dicas de vocibus אָבִיבִים (Deut. XVI, 4), שָׂגוּר (Ex. XIII, 12 etc.), וְקָדִים et aliis, quae in posterioribus scriptis nunquam leguntur. Ad *formas* vero archaicas referri possunt pronomem foemininam הִיא (*hu*) quod in libris Pentateuchi constanter adhibetur pro usitata forma הִי (*hi*); item suffixum זֶה (*el, hael*) pro אֵלֶּה vel הָאֵלֶּה (*elleh, haelleh*); item terminatio tertia pers. plur. fut. in וּן (*un*) quae passim recurrit, frequens usus הַ localis, pro quo posteriores libri praepositionem אֶל (*el*) adhibere solent: forma נָעַר (*nahar*) in significatione foeminina pro נַעֲרָה (*naharah*), quam grammatica praescribit, sed in Pentateucho semel tantum (Deut. XXII, 19) occurrit: 2^o plur. foemin. fuit. sine הַ finali ut תִּבְצֹאֲנִי. Possent multa alia exempla afferri, quae ab eruditius viris collecta sunt, sed haec pauca sufficiant. Fortasse etiam plura alia huiusmodi extabant in Pentateucho, quae temporum decursu a scribis vel rabbinis emendata sunt, quemadmodum per punctationem praestare conati sunt (invitis licet regulis Masorethicis) in tribus ex citatis vocabulis scribentes הִיא (ipsa), נַעֲרָה (puella) et תִּבְצֹאֲנִי (ipsae invenient). Praeterea etiam notatu dignum est, in Pentateucho deesse omnino voces Chaldaicas, quae in sequentibus libris incipiunt apparere, et paulatim frequentiores fiunt; passim vero occurrere vocabula Aegyptiaca, puta nomen Iosephi Gen. XLV, 45 צִפְנֵת פַּעֲנֵה quod Hieronymus vertit *salvatorem mundi*, item nomen vestis Aegyptiacae שֵׁעִטְקֵינִי Deut. XXII, 11; Lev. XIX, 19 et alia quae vicissim posterioribus scriptoribus inusitata sunt; quod apprimè convenit auctori aetate Moysi scribenti, quum Hebraica lingua nullum adhuc a dialectis Orientalibus influxum experta fuerat, Aegyptiacas autem voces ob diurnam apud illam gentem commorationem necessario familiares habebat.

2^o Antiquitas auctoris iterum apparet ex *rebus* quae in Pentateucho commemorantur, quarum mentio et descriptio auctorem in remotissima aetate viventem evincit. Hunc pertinent patriarchales ac simplicissimi hominum mores, quales scimus fuisse primaeva gentium aetate, quorum memoria in antiquissimis profanis scriptoribus Hesiodo, Homero, aliisque celebratur, quique ab auctore Pentateuchi tam graphice simul ac simpliciter et sine ullo sermonis artificio de-

scribuntur, ut lector intime persentiat auctorem ipsum eadem illa aetate, iisdemque moribus vixisse; huiusmodi sunt ex. gr. quae in Pentateucho leguntur de vita pastorali illustrium etiam virorum, de ratione prolis educandae, de convivii, de sacrificiis, de festis popularibus, de domestica suppellectile, de ratione ineundi ac celebrandi nuptias et alia huiusmodi. Solae historiae Isaaci et Rebeccae (Gen. XXIV), Iacobi et Rachelis (XXVIII, XXIX) et tota Iosephi historia a cap. XXXVII et deinceps, et ipsius Moysi vivendi ac agendi ratio (Ex. II, 15, 23, III, 1 etc.) ad exemplum sufficerent. Accedunt quamplurima alia minuta historica, geographica, religiosa, politica, militaria, non solum de gente Hebraeorum, sed etiam de aliis vetustissimis populis Aegyptiis, Phoeniciis, Chanaeis etc., quae passim et obiter absque studio commemorantur, quin tamen unquam recentiora admisceantur aut ullus anachronismus appareat. Quod quidem auctor recentior in tanta rerum varietate, et post tantas gentium illarum vicissitudines nunquam praestare potuisset.

III. Denique interna indicia ostendunt auctorem hunc antiquissimum *alium non esse quam Moysen*. Omnia enim quae in Pentateucho leguntur, rerum ordo ac dispositio, orationis indoles quemadmodum in Moysen quadrant, ita nemini alteri praesertim simul sumpta conveniunt, ut ex sequentibus animadversionibus patebit.

1^o Manifestum est auctorem ex una parte Hebraeam esse gentem ac religione, ex altera vero Aegyptium domicilio atque educatione. Hebraeam illum esse evincit tum exquisita Hebraicae linguae notitia, et in ea adhibenda dexteritas, tum praecipue accurata historiae Iudaeorum cognitio, et ardentissimus amor, quo gentem illam prosequitur; ut omitamus, Hebraeos rerum suarum tenacissimos, nunquam hominis extranei leges ac scripta suscepturos fuisse. Est ergo auctor certissime de genere Hebraeorum. At vero non minus clare patet ex lectione Pentateuchi eius auctorem in Aegypto natum atque educatum fuisse. Ita nempe peritum ac familiarem se ostendit in rebus Aegyptiacis, et ita accurate de iis cogitat ac loquitur ut lector dubitare non possit eum hominem Aegyptium fuisse. Et re sane vera omnes poene paginae Pentateuchi aliquid continent, quod ad Aegyptiorum regionem, mores, leges atque adiuncta etiam minuta refertur, et haec omnia accuratissime, sed absque ullo conatu pro data occasione commemorantur; quod quidem iam a multis observatum, et magna eruditione declaratum

est (1). Nobis pauca exempla sufficient. Imprimis auctor accurate loquitur de terra Aegypti, ita ut recentiores omnes geographi nihil unquam potuerint de antiquo Aegypti statu, ac locorum situ, distantia ac natura stabilire quod non respondeat adamussim iis quae in Pentateucho leguntur. Talia sunt quae de situ, et de feracitate terrae Gessen occurrunt Gen. XLVI, 28, 34, XLVII, 1, 4, 6, 11, quibus in locis terra Gessen ad fines Orientales inferioris Aegypti collocatur, eiusque limites et vicinia notantur, eaque dicitur fertilis et agriculturae simul ac pascuis aptissima. Quae omnia apprimè confirmantur ex geographorum et itinerariorum relationibus (2). Quae hic illic obiter interseruntur de praecipuis terrae fructibus, et de ratione ciborum non minus accurata sunt. Huius rei clarissimum exemplum occurrit in murmuracione Hebraeorum in deserto Num. XI, 4, 5: « Quis dabit nobis ad vescendum *carnes*? recordamur *piscium*, quos comedebamus in Aegypto *gratis*: in mentem nobis veniunt *cucumeres, pepones, porrique, et caepe et allia* » quae omnia revera in Aegypto abundare, et optima esse tradiderunt veteres scriptores. Alterum exemplum esse potest illud Exodi IX, 31, 32 ubi post septimam plagam Moyses Pharaoni promittens se Deum precaturum ait: « *Linum* ergo, et *hordeum* laesum est (scilicet praecedente tempestate ac grandine), eo quod hordeum esset virens, et linum iam folliculos germinaret: *triticum* autem, et *far* non sunt laesa, quia *serotina* erant: » haec enim dixisse legitur Moyses circa finem mensis Februarii, quo tempore reapse in Aegypto hordeum iam spicas profert, et linum folliculos, dum triticum et far circa initium Aprilis ad maturitatem perveniunt (3). Nonnullis recentioribus criticis magnum argumentum visum est historia decem plagarum Aegypti Ex. VII-XI, siquidem fere omnium plagarum descriptio cum indole ac climate Aegypti, eiusque moribus maxime convenit (4). Ita locustarum ac ranarum invasio calamitas est non

(1) Vide ex Catholicis Smith op. cit. pag. 256 et seq. 314. seq. et ex Rationalistis Eichorn *Introd. in. V. T.* edit. 3. §. 442, nota, ubi hoc ingenne fatetur, et exemplis confirmat.

(2) Vide inter recentissimos auctores Brugsch: *Geographia veteris Aegypti*, et Hengstenberg; *Aegyptus et Libri Moysis*. (Germanice ambo).

(3) V. Auctores superius laudatos.

(4) Cum isti auctores observant convenientiam illarum calamitatum cum *climate* Aegypti profecto non negant in iis omnibus miraculum inter-

infrequens apud Aegyptios. Conversio aquarum in sanguinem Pharaonis contumaciae frangendae aptissima erat, nam ex una parte aquarum copia in Aegypto desideratur, et ex alia Nilus unde aqua haurienda erat ab Aegyptiis veluti divinitas adorabatur. Item muscarum plaga (Ex. VIII, 20-31) prout in Pentateucho describitur, plura continet quae notitiam Aegypti supponunt; nam species insecti determinata inducitur *הַעֲרֹב* cum articulo, seu *he* demonstrativo, eiusque importunitas ac molestia hominibus ac brutis illata respondet experientiae, ut periti scriptores tradunt (1). Verba Moysi (Ex. VIII, 26), quibus animadvertit sacrificia boum ferri non posse ab Aegyptiis, apprimè conveniunt cum iis quae scimus de superstitiosa veneratione illius gentis erga id genus animalium, ita ut etiam poena capitalis aliquando per legem decreta esset contra eorum occisores. — Plura alia in Pentateucho occurrunt, quae ostendunt accuratam, multiplicem, et completam scientiam auctoris de moribus et rebus Aegyptiorum. Tria canistra super caput pistoris Pharaonis (Gen. XL, 16, 17) minus congrue excogitata viderentur nisi aliunde constaret hunc fuisse Aegyptiorum morem, quemadmodum in pluribus monumentis recenter detectis insculptum apparet, quorum figuras exhibet inter alios Lepsius in suis *Denkmäler*. Gen. XLII, 32 observat auctor Aegyptiis illicitum fuisse et profanum cum Hebraeis cibum sumere, quod quidem ab historicis confirmatur praesertim ab Herodoto (lib. II, cap. 36, 41) ubi refert cautelas ab Aegyptiis adhibitae ne ex commercio cum extraneis, vel ex contactu rerum quae ab iis adhibitae fuissent, puta cultri, vel vasis cuiuscumque, contaminarentur. Ratio curandi et sepe liendi cadavera descripta Gen. L ea ipsa est, quam scimus in Aegypto obtinuisse, et quam examen cadaverum Aegyptiorum, quae *mummie* dicuntur, confirmat. Etiam circumstantia de pluribus medicis, qui Iosepho Aegypti Proregi serviebant, respondet adamussim consuetudini Aegyptiorum, iuxta quam singuli medici unam tantum morborum speciem curare sciebant, unde magna medicorum turba in aulis principum, ut refert Herodotus (lib. II, cap. 84). Ut alia omittamus, Lev. XIX, 19 coll. Dent. XXII, 44 occurrit vox *שֶׁעִבְרָו* cessisse, saltem relate ad intensitatem, et ad modum, quo illa omnia in Pharaonem et Aegyptios irruerunt brevi temporis spatio, et ad Moysi nuntium.

(1) V. Testimonium Sonnini apud Hengstenberg op. cit. p. 118.

quae vestem peculiarem Aegyptiorum designat: Gen. XII, 2, 18 legitur vox Aegyptiaca *אֲהוּ* (*ahhu*) quae significat speciem plantae palustris, ut notavit Hieronymus Comm. in Isaiam XIX, 7. Nomina quoque propria *Pharao*, *Putiphar*, *Aseneth* (Iosephi uxor) nomen ipsi Iosepho datum *Zaphanath Paneahh*, et ipsum *Moyse* nomen Aegyptiaca sunt.

2° Auctor Pentateuchi in peregrinatione Hebraeorum partem habuit, et ante ingressum in terram Chanaan scripsit. Sane de Arabiae deserto accuratissime loquitur, singulas stationes minute describit, appositis earum nominibus, locorum situ, ac distantis; contra vero de terra Chanaan tamquam ex aliorum relatione loquitur, et semper in futuro. Quinimo nonnulla aliquando circa illam disponit ac praecavet, quae postea, mutatis circumstantiis, locum non habuerunt, ut ex. gr. Deut. VII, 22 animadvertit Chanaanos non statim sed paulatim exterminandos esse ad Hebraeorum emolumentum; cum tamen postea reipsa in poenam ipsius populi a Deo relicti fuerint (Iud. II, 21, 22, III, 4, 4). Item Deut. XIX, 8 seq. auctor constituit tres urbes refugii caeteris addendas esse quando Israel terra promissa ad extremos usque limites supra (Deut. I, 7) descriptos potius fuerit; verum urbes istae reipsa nunquam additae sunt, quia ad limites illos extremos occupandos Hebraei nunquam pervenerunt. Quae hucusque diximus in Moyse personam perfecte quadrant, qui et in Aegypto natus et educatus fuit, cum tamen de gente Hebraeorum esset, idemque populum per desertum duxit quadraginta annis, et ante ingressum in terram Chanaan e vivis sublatus est.

3° Character legislatoris uni Moyse conveniens apud Hebraeos in auctore Pentateuchi evidens est. Sane ipsa materiae dispositio, et detectus legislatorum prodit. Imprimis enim omnia ad legem illustrandam vel inculcandam ordinantur; tota historia Geneseos evidenter scripta est eo consilio ut viam sterneret ad sequentem legem intelligendam, et suscipiendam, ut alias innuimus, idemque dicendum de historia, quae in sequentibus libris narratur; nam ita narrationes praeceptis intermiscuntur ut illae istorum vel occasionem exhibeant, vel sensum declarent. Ipsae vero leges nequaquam ordinate ac systematice proponuntur, puta iuxta naturam rerum, aut obiectorum similitudinem, quemadmodum fit ab illis qui leges ab aliis latas colligunt, et in unum corpus iuris digerunt, sed contra auctor noster absque

ordine leges profert, prout nempe singulae ferebantur, narrationes quoque, adhortationes, et comminationes passim admiscet, multa pro data occasione iterum atque iterum repetit, aliquando etiam clarius explicat, et non raro leviter immutat. Quae omnia plene demonstrant auctorem non esse collectorem legum, sed ipsum esse legislatorem, qui dum leges ferebat eas etiam scripto mandabat, simulque de earum observantia sollicitus easdem leges vehementius inculcabat, declarabat, repetebat, ut altius in animis populi imprimerentur, et mutatis adiunctis etiam extendebat, vel restringebat, suprema scilicet et independenti auctoritate (1).

4° Examen Deuteronomii novum argumentum suppeditat de auctore Moyse. Stylus enim Deuteronomii ipsam Moysem indicat iam in fine peregrinationis constitutum, annis gravem, et morti proximam, populum magna sollicitudine adhortantem ad legem observandam. Sane modus loquendi auctoris in Deuteronomio non parum differt a praecedentibus libris in eo praesertim quod in Deuteronomio stylus longe gravior et vehementior est, exhortationes prolixiores sunt sollicitudine et affectu prorsus paterno plene, ubique elucet summa animi fortitudo et libertas, nec non confidentia loquentis, utpote qui tot ac tanta pro populo gesserat, ac de eius futura sorte tam sollicitus erat. Uno verbo Deuteronomium ab eo scriptum apparet qui populum ex Aegypto eduxerat, per quadraginta annos, et in medio discriminum gubernaverat, legem illi dederat, et nunc ultima veluti iamjam moriturus, et alterius regimini eum relicurus solemniter eis inculcat. Haec omnia ut in Moyse personam conspirant ita alteri conveniunt nemini. Quis enim unquam potuisset ita Moyse characterem induere, ita in eius aetate ac adiuncta se transferre ut nunquam a vero aberraret et

(1) Paucis exempla subiicimus. Decalogus quater repetitur, scilicet Ex. XX, et iterum ex parte Lev. XIX, et XXVI, denique fustus et nonnullis declarationibus insertis Deut. V. Lex decimarum occurrit Lev. XXVIII, et iterum brevis Deut. XIV, 22. De primogenitis animalium Lev. XXVI, 26 seq. et iterum pressius Deut. XV, 19. De non edendo sanguine Lev. XVII, 10 seq. Deut. XII, 16 et XV, 23. Lex de reduciendo bove vel asino inimici Ex. XXIII, 4, 5. clarius exponitur Deut. XXII, 1-5. De mutuo et pignore Ex. XXII, 25. seq. distinctius occurrit Deut. XXIV, 10-14. De mercede cito solvenda Lev. XIX, 13, et fustus Deut. XXIV, 14, 15. Demum quae de servorum immmissione praecipiantur Ex. XXI, 1-12 simpliciter, et cum aliqua immutatione recurrent Deut. XV, 12-18.

seipsum proderet? Aut quem alium Indaei Moysi personam simulantem unquam suscepissent? Quomodo illum legislatoriam potestatem usurpantem, acriter redarguentem, poenas irrogantem ferre potuissent, qui aegre admodum et obtorto collo ipsius summi ducis et legislatoris iugum trahere parati erant?

3^o Indicia interna quae hactenus prolata sunt vehementissime suadent Moysen esse Pentateuchi auctorem. Audiendus nunc est ipse auctor qui Moysen se aperte vocat, et pro Moysae haberi vult, in quo quidem fidem nunc merebitur; eius enim assertioni totam librorum seriem, eorumque internos characteres suffragari vidimus: ac praeterea ex eadem auctoris assertionem sequitur, eum, in hypothesis quod Moyses non sit, impostorem fore; quo semel admissio, Iudaeorum veneratio erga libros Pentateuchi, non obstantibus gravioribus praeceptis, ingratissimis factorum narrationibus ac severioribus sanctionibus, explicari amplius non posset. Quae rursus confirmantur 1^o ex epocha qua Pentateuchus editus dicitur; siquidem aetate Mosaica Hebraeorum gens nequaquam rudis ac infans exiit, quem admodum dicendum est de obscuris gentium originibus ex. gr. Aegyptiorum, vel Graecorum, de quibus veteres eorum scriptores ac poetae loquuntur; verum contra gens Indaeica ex Aegypto egrediens iam numerosam et bene constitutam societatem efformabat, suas traditiones suamque historiam clare ac indubitanter competentem habebat, verbo cum plena sui conscientia sub duce Moysae ex Aegypto emerit. Ex quibus omnibus apparet impossibile fuisse ut Hebraei errarent circa Pentateuchi auctorem, eamque a nescio quo recentiore scriptum sub Moysi nomine pro eiusdem celeberrimi legislatoris opere susceperent. 2^o Confirmantur ex solemnitate qua Pentateuchus ab auctore dicitur editus (Deut. XXXI, 24, seq.) scilicet eum volumen complevisse, sacerdotibus ac Levitis consignasse, et in Arca foederis custodiri iussisse; quae cum in traditione conservari, et usu ipso innotescere necessario deberent omnem fraudis suspicionem magis magisque removerent.

Quibus praemisissis, auctorem de se ipso testantem audiamus. Primo quidem absolute et generatim scribit (Deut. XXXI, 9): « Scripsit itaque Moyses legem hanc, et tradidit eam sacerdotibus filiis Levi etc. » ubi pronomem illud demonstrativum refertur ad integram Pentateuchum, ad cuius finem haec verba leguntur tanquam subscriptio auctoris ut ex. gr. ad finem praecipuarum sectionum

operis Thucydides legitur: *Thucydides conscripsit, Θουκυδίδης συνέγραψε*. Item vv. 21, 25 seq. conclusio voluminis eiusque solemnis traditio commemoratur hisce verbis: « Postquam ergo scripsit Moyses verba legis huius in volumine, atque complevit, praecipit Levitis, qui portabant arcam foederis Domini dicens: tollite librum istum, et ponite eum in latere arcae foederis Domini Dei vestri, ut sit ibi contra te in testimonium. » Sunt qui putant haec verba ad solum Deuteronomium referri, verum etiam hoc admittatur argumenti vis non tollitur: siquidem Deuteronomium supponit praecedentes libros ab eodem auctore conscriptos, ad eos enim passim appellat, leges in iis contentas repetit, ac declarat, denique, illis demptis, intelligi non posset.

Verum praeterea non desunt loca etiam in libris praecedentibus ubi Moyses eos scripsisse dicitur. Ex. XVII, 14 legitur: « Dixit autem Dominus ad Moysen: *scribe hoc ob monumentum in libro* (scilicet fugam et caedem Amalec) et trade auribus Iosue etc. » ubi iam occurrit mentio *de libro* a Moysae scripto, praesertim cum vox Hebraica habeat articulum demonstrativum *בספר* scilicet *in eo libro*. Huic autem libro sic incepto perrexit Moyses alia addere. Sic Ex. XXIV, 4, 7: « Scripsit autem Moyses universos sermones Domini... assumensque volumen foederis legit audiente populo etc. » Iterum Ex. XXXIV, 27: « Dixitque Dominus ad Moysen: *scribe tibi verba haec* quibus et tecum et cum Israel pepigi foedus »; et Num. XXXIII, 1, 2 scriptae dicuntur a Moysae in eodem volumine septuaginta duae mansiones populi in deserto: « Hae sunt, inquit, mansiones filiorum Israel, qui egressi sunt de Aegypto per turmas suas in manu Moysi et Aaron, *quas descripsit Moyses iuxta castrorum loca, quae Domini iussione mutabant.* » Ex quibus apparet per totum temporis spatium quo Hebraei in Arabia peregrinati sunt Moysen in hoc libro continuando ac perficiendo incubuisse, donec sub finem peregrinationis volumine completo, illud Levitis tradidit, ut supra vidimus, in arca foederis custodiendum, addito etiam praeepto de eius lectione singulis septenniis repetenda: « Praecipitque eis dicens: post septem annos, anno remissionis, in solemnitate tabernaculorum, convenientibus cunctis ex Israel..... *leges verba legis huius coram omni Israel audientibus eis etc.* » (Deut. XXXI, 10, 11). Frustra hic adversarii nonnulli animadvertunt 1^o de quibusdam tantum partibus dici, quod a Moysae scriptae

fuert, 2° cum Moyses iubetur a Deo scribere, non dici eum revera scripsisse. Haec nullius momenti sunt. Ad 1° enim responsio in promptu est: imprimis testimonia citata ex cap. XXXI Deut. revera generalia sunt, et integrum volumen sive directe, sive indirecte respiciunt. Deinde nulla erat necessitas omnibus libri partibus apponere Moysi nomen, neque ex eius omissione quidquam concludi potest, quemadmodum ex. gr. ex eo quod Thacydides in nonnullis sectionibus suae historiae Peloponnesiacae usitam subscriptionem omittat, nemini in mentem veniet eas partes diverso auctori tribuere. Ad 2° vero notamus omissionem illam in nostra sententia facile explicari, et argumentum contra adversarios retorqueri posse; ideo enim non dicitur Moysen praecepto scribendi obtemperasse quia ipse Moyses est libri auctor, ac proinde ipso facto ostendit praeceptam illud a se impletum fuisse. Simile exemplum habemus in Apocalypsi ubi Ioannes praecipitur scribere in libro, et mittere septem Ecclesiis (Apoc. I, 11), postea vero non narrat se scripsisse quia liber Apocalypsis ad illas Ecclesias missus ipso facto demonstrabat eum divino praecepto paruisse.

§. III. Solvantur obiectiones.

Obiectiones quae magno numero a rationalistis proferuntur contra authenticam Pentateuchi claritatis causa ad quasdam classes revocabimus. Et primo quidem notandum est, adversarios fere unice *internas* difficultates obicere, nihil enim in traditione occurrit quod contra nos afferri possit. Proferunt tamen nonnulla, quae aliquo modo *externarum* obiectionum locum tenent, de quibus statim breviter dicemus, postea vero de internis.

I. Obiectiones externae.

1° Obicit Voltairius in *Dictionario-Philosophico*, articulo *Moy- ses*, impossibile esse ut Pentateuchus a Moysse scriptus fuerit: Moyses enim neque linguam Hebraicam callebat, neque scribendi artem noverat, neque aptam materiam ad integrum Pentateuchum exarandum invenire potuit. 4) Linguam Hebraicam non callebat: natus enim in Aegypto, et in aula Pharaonis educatus Aegyptiaca lingua loqui debuit: neque a suis potuit linguam illam discere; Hebraei

enim, cum iam tria ferme saecula in Aegypto commorati fuissent, procul dubio patriam sermonem obliti fuerant. 2) Scripturam nesciebat, siquidem scriptura alphabetica remotissima illa aetate nondum inventa fuerat, et Aegyptii eo tempore ad summum sola scriptura hieroglyphica utebantur, quae nec apta erat ad voces Hebraicas, et ad volumen tam ingens exarandum, nec a plebe Iudaeorum legi potuisset. 3) Denique apta scriptioni materia deerat. Tunc enim solis lapidibus solebant characteres insculpi; verum si integer Pentateuchus in lapidibus hieroglyphice insculptus fuisset immensus lapidum acervus necessarius fuisset hoc illuc per desertum asportandus. Ita leviter ac ridicule more suo adversarius.

Resp. ad 1° Potuit Moyses imprimis patriam linguam addiscere in ipsa aula Pharaonis. Constat enim eum in prima infantia a propria matre Hebraea fuisse educatum, ac insuper dubitandum non est nobiles Aegyptios linguam Hebraicam calluisse; cum Hebraeis enim frequens eis erat commercium, ac isti longo iam tempore in Aegypto debebant. Verum deinde Moyses ad adultam aetatem cum pervenisset ad suos contribules pertransiit, et paulo post in terram Madian migravit, ubi eadem vigeat lingua, quae apud Hebraeos, vel illi omnino affinis. Quod autem ipsi Hebraei suam linguam obliti essent gratis ab adversario affirmatur, imo incredibile omnino est, si consideretur ex una parte tenacitas Hebraeorum in suis usibus ac traditionibus servandis, ex alia vero parte Hebraeos sese non admisuisse Aegyptiis, sed separatam populum constituisse, in extrema parte orientali Aegypti, quae terra Gessen dicebatur (Gen. XXXVII, 6, 26 seq.): patriam ergo linguam oblivisci nec voluerunt, nec potuerunt. Similia exempla etiam nunc occurrunt: ita Baschi in extrema Hispania et sub Hispanico regimine viventes, vetustam suam linguam obliti non sunt; ita Melitenses sub Italico vel Anglico gubernio patriam linguam semper conservarunt, et coloniae Gallicae in Americam septentrionalem deductae post duo et amplius saecula Gallice adhuc loquuntur.

Ad 2° dicimus inscitiam suam prodere Voltairium, in iis quae asserit de origine artis scribendi, ac de hieroglyphica scriptura. Et imprimis etiamsi scribendi ars ignota fuisset nonne potuisset illam ipse Moyses excogitare, aut a Deo accipere, quemadmodum nonnulli ex antiquis Patribus, et vetusti quidam profani scriptores (ut Eupolemus, et Artapanus) existimant? Verum hoc supponere ne-

cessarium non est; potest enim facile ostendi alphabeticam scripturam iam tum Hebraeis notam fuisse, scilicet a progenitoribus suis, et Patriarchis acceptam, ut notat Augustinus lib. XIX de Civitate Dei cap. 39 iniquens: « Non itaque credendum est Hebraeos literas a Lege coepisse, quae data est per Moysen, sed potius per illam successionem Patrum (Patriarcharum) memoratam linguam cum suis literis custoditam. » Et re sane vera Hebraei ex familia Abrahami, Isaac et Iacobi originem habebant, quae diu in terra Chanaan vixerat, et exinde in Aegyptum migraverat. Iam vero multa sunt quae suadent in terra Chanaan, aetate Patriarcharum, scribendi artem notam fuisse. Imprimis enim haec necessaria videtur ad commercium et culturam populorum, puta ad contractus firmandos, ad factorum memoriam conservandam etc.: aliunde autem scimus Chananaeos, et imprimis Tyrios et Sidonios magnam civilis culturae perfectionem iam illa aetate attigisse. Inter urbes Chananaeorum, quas Hebraei diruerunt una erat quae nomen gerebat *Cariath-Sepher*, quod nomen significat *civitas librorum*, ubi forte gentis illius bibliotheca extabat.

Verum profana etiam historia nobis suffragatur. Est enim constantium veterum traditio literas a Cadmo ex Phoenicia in Graeciam delatas fuisse, unde canebat Lucanus Pharsal. lib. I, vers. 320 seq.

Phoenices primum, famae si creditur, ausi
Mansuram rudibus vocem signare figuris:
Nondum fluminea Memphis contexere biblos
Noverat: at saxis tantum volucresque, feraeque,
Sculptaque servabant magica animalia linguas.

Porro adventus Cadmi in Graeciam, iuxta chronologiam vulgo receptam, incidit in annum mundi circiter 2480, quae est ipsa Moysi aetas, et amplius triginta annis praecedit egressum Hebraeorum ex Aegypto. Iam vero si tunc Phoenices literas in Graeciam attulerunt credendum est eos iamdiu artem scribendi calluisse, et cum eis etiam Chananaeos, qui eandem regionem occupabant, et eadem lingua loquebantur, proindeque etiam Abraham eiusque posteris, qui in medio Chananaeorum vivebant, et quidem inter potentes ac nobiles viros numerabantur. Confirmatur hoc ex similitudine quae intercedit inter characteres Phoenicios adhuc in mo-

numentis superstites, et vetustas Hebraeorum literas, quae ex. gr. in nummis Hebraicis legantur. Est enim idem fere alphabetum. (Vide alphabeta comparata in principio Grammaticae Gesenii). Hisce adde in historia Patriarcharum non raro mentionem occurrere de descriptione ut ex. gr. Gen. XXIII, ubi de libello emptionis fit sermo, et Num. XXI, 4 ubi commemoratur antiquior *liber Bellorum Domini*; et etiam Iob Moysae antiquior scripturam commemorat ubi ait (cap. XIX): « Quis mihi det ut scribantur in libro sermones mei, etc. » Denique observari potest voces סֵפֶר *sepher* (liber), כְּתָב *cathav* (scriptis) et דֵּיּוֹ *deio* (atramentum) in omnibus linguis semiticis inveniri, quod ostendit eas ab illa aetate remotissima descendere cum nondum Semitarum sermo in varias dialectos abierat, ac proinde iam tum scribendi artem notam fuisse.

Haec quidem ostendunt, alphabeticam scripturam Moysi praesto fuisse, neque omnino necessarium fuisse ad hieroglyphicos characteres confugere. Quamquam omittendum non sit, hunc etiam scribendi modum absolute loquendo sufficere potuisse; falsum enim est quod adversarius supponit, eos tantum characteres apud Aegyptios in usu fuisse, quos vetustis quibusdam illius regionis monumentis inscriptos videmus, quique in integris animalium, aliarumque rerum figuris consistunt. Sane ex recentiorum studiis, post Champollion et Rosellini, apparuit triplicem scripturam adhibitam fuisse ab Aegyptiis, 1° quidem illam superius memoratam, quae lapidibus, ac publicis monumentis incidi solebat. Verum cum haec nimis spatii requireret, neque omnes scirent figuras illas apte delineare, hinc 2° simplicior quaedam forma inventa est, in qua summae tantum lineae ad figuras exprimendas pingebantur; qui scribendi modus cum a sacerdotibus praecipue adhiberetur scriptura *hieratica* dicta est. 3° Denique pro usibus privatis, cum etiam illa altera forma incommoda videretur, alius modus inventus est, in quo veterum characterum formae vix adumbrantur, quae scriptura, ut ita dicam, *cursiva* quoniam universo populo communis erat, appellatur *demotica*. Huius, et praecedentis scripturae exempla plurima occurrunt in papyris ex Aegypto asportatis, et in variis Europae bibliothecis custoditis, quarum quaedam ad aetatem Moysi pertinent, nonnullae etiam ad epocham longe antiquiorem, de quibus agunt Lepsius in op. cit. et Brugsch in sua historia Aegypti. Potuisset igitur Moyses, in defectu propriae scripturae, breviores

istos Aegyptiacos characteres usurpare. Nec multum valet quod adversarii obiciunt de difficultate exprimendi voces Hebraicas characteribus Aegyptiacis. Scimus enim non raro iisdem characteribus voces extraneas expressas fuisse, ut ex inscriptionibus Aegyptiacis recentioribus apparet, lingua autem Hebraica non caret aliqua affinitate cum Aegyptiaca. Verum haec ad abundantiam dicta sint, cum ex dictis constet, Moysen proprio alphabeto Hebraico uti potuisse, et revera usum esse.

Resp. Ad 3^m nihil absurdus ab adversario dici potuisse, quam solos lapides Moysi aetate fuisse ad scribendum adhibitos. Quamvis enim ad publica monumenta inscriptiones lapideae praecipue adhiberentur, ut etiam nunc fit, quae pro maiori soliditate caeteris melius conservatae sunt, non est tamen existimandum nullam aliam materiam commodiorem in usu fuisse. Historia tradit materiam ad scribendum aptam ex triplici naturae regno usque ab immemorabili aetate depromptam fuisse: et sane

I. Ex regno *vegetali* adhiberi solebant

1° *Folia* arborum et plantarum, de quibus loquitur Virgilius Aen. VI narrans adventum Aeneae ad antrum Sibyllae. 2° *Cortex* arborum quarundam, qui *biblos* a Graecis, et *liber* a latinis dicebatur, unde *librorum* nomen. 3° *Pannus vilinus*, ex lignorum fibris praeparatus, qui in Aegyptiorum mummis etiam Moysae antiquioribus reperitur. 4° *Tabellae* subtiles ex ligno, quae a Graecis Πινυξαι; a Latinis *pugillaria* vocabantur, de quibus legitur Ezechiel. XXXVII, 16, Luc. I, 63, et apud profanos passim. Solebant autem ad commodiorem usum, praesertim in Occidente, hasce tabellas cera linire, ut characteres semel incisi possent facile, inverso stylo, obliterari, et alii iis substitui. 3° Et praecipue *papyrus* et charta *papyracea* ex diversis arundinibus papyri confecta, cuius usum iam ante bellum Troianum (XII saeculo A. C.) existisse testatur Plinius hist. nat. lib. XIV, 22, seq. Inter papyros Aegyptiacas in Europa asservatas plures creduntur antiquiores epocha Moesaica, ut sunt ex. gr. Papyri Berolinenses I, II, III, IV, quae ab hodiernis criticis saltem ad XIII dynastiam pertinere creduntur, quae Moysae antiquior est: nam exitus Hebraeorum ex Aegypto iuxta communiorem sententiam, et certiores synchronismos historiae antiquae collocandus videtur sub finem XIX dynastiae.

II. Ex regno *animali* adhibitae sunt ab antiquis

1° *Pelles animalium*, quae initio quidem simpliciter exsiccatae vel utcomque praeparatae, postea sub Eumene, vel, ut alii volunt, sub Attalo Rege Pergami diligentius concinnari coeperunt, unde *Pergamense* dictae; dicuntur etiam *membranae* tum a Graecis tum a Latinis. De his loquitur Paulus 2 Tim. IV, 13, et ex profanis Martialis, ubi de historia Titi Livii sic scripta loquitur:

Pellibus exiguis arctatur Livius ingens,
Quem mea vix totum bibliotheca capit.

2° *Intestina animalium*. Refert Sozomenus in incendio Bibliothecae Constantinopolitanae per Leonem Isauricum, inter alia volumina, perisse poemata Homeri ingenti serpentis intestino, 120 pedum longitudinis, aureis characteribus inscripta.

III. Ex regno *minerali* in usu erant

1° *Laminae* metallicae praesertim plumbeae, quae valde subtiles, et flexibiles duci possunt, de quibus Iob Moysae antiquior aiebat cap. XIX: « Quis mihi det ut scribantur sermones mei? quis mihi det ut exarentur in libro stylo ferreo et plumbi lamina etc. » 2° *Tabulae aeneae* pro publicis monumentis, de quibus in 1 Mac. VIII, 22, et apud profanos passim. 3° *Laterculi*, qui literis impressis igne concoquebantur, quorum magna copia in Assyria inventa est, imprimis in ruinis urbis Ninive, unde ab Anglis asportati sunt, et in Museo Britannico servantur. 4° Denique *lapides* etiam pro publicis monumentis passim et apud omnes adhibiti sunt. Ad rationem scribendi quod attinet, pro solidiori quidem materia stylo metallico utebantur, in linteis vero, pellibus, charta etc. litteras pingebant vel pennicillo, vel arundine fissa, qua etiam nunc Orientales pro pennis utuntur.

Potuit itaque Moyses aliqua ex hisce levioribus materiis uti ad scribendum Pentateuchum.

Obiciunt 2° nonnulli factum quod sub Iosia rege accidisse legitur 4 Reg. XXII, XXIII, et 2 Paral. XXXIV, ex quo dicunt colligi Pentateuchum ante illam aetatem non existisse. Siquidem in cit. locis narratur Helciam summum Pontificem a rege missum ut aurum et argentum colligeret ad mercedem solvendam operariis, qui templi aedificia sub praecedentibus regibus neglecta expurgabant et restaurabant, Helciam, inquam, librum legis Moysi

reperisse. Is itaque repertum volumen ad regem detulit, et coram eo legendum curavit, quo facto rex ingenti stupore ac terrore percussus « *scidit vestimenta sua* » et exclamavit: « *non audierunt patres nostri verba libri huius, ut facerent omne, quod scriptum est nobis,* » ideoque Helciam cum aliis prudentibus viris misit ut Dominum ea de re consulerent, acceptoque responso ab Holda prophetide, sacerdotes, prophetas, ac populum convocavit in templum, ac librum coram universo coetu legit, omnesque Domino promiserunt se in posterum legem observaturos. Ex hac historia argumentum adversarii desumunt contra authenticam Pentateuchi. Si enim, inquit, Pentateuchus a Moyse scriptus fuisset, aetate Iosiae omnibus notus esse debuisset, proindeque stupor ille regis, admiratio populi, aliique miri effectus superius narrati explicari non possent.

Resp. obiectionem fundamento prorsus carere. Ac imprimis contra ipsos adversarios retorqueri posset argumentum. Si enim Pentateuchus ante Iosiam non exstabat, neque unquam de illo Hebraei audiverant, quomodo factum est ut rex, et populus, sacerdotes, levitae, ac prophetae statim illum tanquam Moysei opus absque ullo examine feciperent, verbis in eo perlectis crederent, ac tanta solemnitate promitterent se eius praecepta servaturos? Est igitur procul dubio narrata historia aliter explicanda. Haec vero explicatio difficilis non est, in tuto posita Mosaica origine Pentateuchi. Sciendum itaque est sub duobus praecedentibus regibus Manasse, et Amon Mosaicum cultum, ac legis studium valde neglectum fuisse, ac populum licet non ignoraret libros a Moyse scriptos, de iis tamen legendis, ac practice sequendis parum cogitasse. Facile itaque intelligitur quomodo solemnium horum librorum lectione ex antiquo codice in templo reperto Hebraei ipsi tantopere commoti fuerint, praesertim si eorum sententia admittatur, qui dicunt codicem illum ab Helcia inventum fuisse ipsum autographum Moysei, eius scilicet manu descriptum, et sacerdotibus traditum iuxta arcam foederis custodiendum. Quod quidem narrationis adiuncta vehementer suadent. Nam et codex autographus Moysei reipsa in templo custoditus erat, et facile fieri potuit ut sub impio Amone, eiusque patre deperditus fuerit, in summa scilicet rerum sacrarum confusione, quae per id temporis obtinuit, postea vero piis curis Iosiae, cum templum ipsum, et res ad divinum cultum pertinentes ad pristinum decorem revocarentur, venerandum illud monumentum in lucem redierit,

cuius aspectu fieri non potuit, quin omnium animi vehementer afficerentur. Favet quoque textus Hebraicus ubi legitur fuisse repertum « *librum legis Domini per manum Moysei* » hebraice בִּיְרֵמְיָהוּ (2^o Paral. XXXIV, 14).

II. Obiectiones internae.

Adversarii, ut super innoimus, potissimum ex internis Pentateuchi notis eius authenticam impugnant. Obiectiones huiusmodi apud recentiores praesertim rationalistas, imprimis Vater, Ewald et Colenso, infinitae poene sunt, quas patienter collectas, et in classes distributas videre est apud Smith op. cit. in tota Parte II. Nos praecipuas solvemus scilicet A. eas quae ostendere videntur aetatem Pentateuchi esse recentiorem Moyse, B. eas quibus ostendere conantur auctoris personam, et characterem cum Moyse non convenire.

A. Argumenta contra aetatem Mosaicam Pentateuchi.

1^o Obiiciunt *chronologicas* quasdam notas. a) Gen. XII, 6 legitur post narratum adventum Abraham in Chanaan: « *Chanaanus autem tunc erat in terra.* » Quae verba repetuntur c. XIII, 7. Ergo, inferunt adversarii, quando auctor scribebat, Chanaanus non erant amplius in terra. Constat autem eos post mortem Moysei expulsos e sua terra fuisse; ergo liber post Moyssem scriptus est.

b) Simile argumentum desumunt ex Gen. XXXVI, 15-43 ubi de regibus et ducibus Idamaeorum sermo est. Imprimis enim dicunt nimium esse numerum principum qui ibidem commemorantur, si includendi sint spatio temporis quod interessit inter Esau, gentis illius stipitem, et Moyssem. Deinde unus ex dictis regibus, nempe *Hadad*, probatur vixisse aetate Salomonis (3 Reg. XI, 14 seqq.). Tandem v. 31 cum auctor numerare incipit reges Idamaeorum ait: « *Reges autem qui regnaverunt in terra Edom, antequam haberent regem filii Israel, fuerunt hi: Bela filius Beor etc.* » unde concludunt adversarii librum fuisse scriptum aetate regum Israel, secus illa comparatio cum regibus Israel non intelligeretur.

c) Ex. XVI, 33 legitur: « *filii autem Israel comederunt man quadraginta annis donec venirent in terram habitabilem: hoc cibo alii sunt usquequo tangerent fines terrae Chanaan:* » Iamvero, inquit Davidson, Moyses e vita excessit antequam cessaret manna, et antequam Hebraei ingrederentur Chanaan. Igitur ea verba recentius scripta sunt.

d) Obiciunt etiam formulam « *usque in praesentem diem* » quae frequenter recurrit ex. gr. Deut. III, 14 ubi de nomine pagorum Iair est sermo: « vocavitque ex nomine suo Basan Havoth Iair, idest villas Iair, *usque in praesentem diem* » haec formula longum temporis spatium intercessisse denotat inter factum illud et epocham scriptoris.

Resp. breviter huic classi difficultatum. Et primo quidem possemus nodum secare concedendo adversariis haec omnia revera a Moysse scripta non esse, sed postea declarationis causa ab alio sacro scriptore addita fuisse, puta a Iosue Moysi comite ac interprete, vel ab Esdra, qui sacros Libros collegit, ac recensuit. Sane id affirmare liceret salva Pentateuchi audentia et integritate. Breviores enim istae notae non afficiunt substantiam sermonis, sed eum tantummodo declarant; aliud autem Iosue et Esdras non minus a Deo inspirati, et sacrorum librorum auctores fuerunt quam ipse Moyses. Sunt etiam qui cum Philone lib. III de vita Moysi, Iosepho Flavio lib. VI antiq. cap. ult. et aliis Iudaeorum doctoribus haec omnia explicant ex spiritu prophetico ipsius Moysi, qui ea licet futura praescivit. Verum necessarium non est ad has responsiones confugere; possunt enim aliunde obiecta loca explicari quamvis supponantur ab ipso Moysse historice conscripta. Itaque

a) ad locum Gen. XII, 6; XIII, 7, resp. primo: etiamsi verba accipiuntur, prout adversarii faciunt, cum relatione ad tempus *subsequens*, quo Chananaei non erant amplius in terra, posset tamen satis intelligi quomodo Moyses haec scribere potuerit. Moyses enim certus erat de proxime futura Chananaeorum expulsionem, quae a Deo solemniter promissa fuerat, immo ex parte iam compleri coeperat ante eius mortem in regione trans-Iordanica. Verum alia etiam responsio afferri posset, scilicet particulam *tunc* non ad tempus *subsequens* sed potius ad *praecedens* referri, ita ut non significet Chananaeos *adhuc* fuisse in terra, qui *postea* ibi esse cessarant, sed *iam tunc* (aetate Abraham) ibi fuisse, qui *antea* non fuerant. Nec deest in hac hypothesis ratio huius animadversionis. Siquidem Chananaei non erant originarii illius terrae habitatores, sed aliae gentes regionem illam occupaverant, ut etiam ab Herodoto et Strabone traditum est (Herodotus lib. I, cap. 7. Strabo lib. XVI), scilicet illae tribus semibarbarae quae in ipso Pentateucho aliquando memorantur sub nominibus Rephaim, Enakim, Zanzummim etc., qui postea a Chana-

naeis expulsi fuerunt magna saltem ex parte, quemadmodum postea et ipsi Chananaei ab Hebraeis exterminati sunt. Erat igitur opportunum Moysi ut Hebraeos lectores moneret Chananaeos illos qui tunc Palaestinam occupabant, et contra quos pugnandum erat, *iam* ibidem fuisse cum Abraham eorum pater illuc immigravit.

b) Paulo difficilior est quaestio de Gen. XXXVI, 43-43; possunt tamen omnia componi. Et ad primam difficultatem quod attinet de nimio principum numero observamus apud Idumaeos simul cum monarchica dignitate, quae electiva erat, fuisse etiam aristocratiam quandam haereditariam, quae *principibus* quibusdam constituebatur ab Esau recta linea oriundis, qui Gen. XXXVI, 13 seqq. speciali nomine vocantur אֱלֻפִּים (*alluphim*), et a *regibus* מְלָכִים (*melachim*) distinguuntur (ibi. v. 31). Quapropter non debemus supponere omnes illos principes ac reges unum post alterum successisse ita ut seriem quandam efficerent, quae certe plurium saeculorum spatium postularet, sed principes ipsos tum regibus tum inter se coaevos fuisse. Ad alteram obiectionem quae respicit unum ex dictis principibus nomine *Hadad* respondemus valde hallucinari Von-Böhlen qui illum confundit cum Hadad principe Idumaeo qui molestiam Salomoni creasse legitur 3^o Reg. XI, 44-22, cum evidens sit duos esse distinctos viros, quorum primus, ille scilicet in Genesi nominatus rex erat, non ita alter; ille privati hominis filius, alter regis filius (3 Reg. XI, 14, 17). Denique ad tertium, in quo potissimum insistit citatus auctor, respondemus potuisse Moyssem haec scribere quia certissime sciebat Israelitas aliquando regem habituros, quod etiam expresse praedicit, et pro certo assumit in pluribus locis. Verum deinde adversarii demonstrare non possunt vocem (*melech*) pro rege proprie dicto ibi accipiendam esse, potest enim vox illa intelligi etiam de *duce* vel *principe*, et tunc ipse Moyses hic designaretur, qui revera primus fuit, qui regimen, et principatum super filios Israel obtinuit. Hinc Philo in vita Moysi regis titulum illi frequenter tribuit.

c) Quod pertinet ad locum Ex. XVI, 35 difficultas nulla est. Moyses enim mortuus est sub finem XL annorum, cum iam in conspectu terrae promissae consisterent Hebraei, ac proinde peregrinatio, ac necessitas mannae iam cessaverat. Poterat etiam dici eos iam in *terram habitabilem* venisse, et *finem terrae Chanaan tetigisse*: non enim amplius in deserto errabant, sed in campo Moab ten-

toria fixerant, et magna eorum pars iam terram Basan occupabant trans Iordanem.

b) Denique ad locum Deut. III, 14 dicimus formulam illam: *usque in praesentem diem* non necessario supponere longum temporis spatium inter eventum, et tempus, quo scribitur; sufficit ut aliquot annorum tempus intercesserit, praesertim si de rebus agatur haud magni momenti, quae facile mutari solent, ut sunt locorum nomina, quae ex peculiari circumstantia originem habuerint. Ita ex. gr. ut alibi innuimus, Matthaeus (XXVII, 8) loquens de agro quem sacerdotes emerant ex pretio a Iuda proditore restituito scribere potuit: « Vocatus est ager ille Haceldama, hoc est ager sanguinis *usque in hodiernum diem* » quamvis Matthaeus paucis tantum annis post illum eventum haec scriberet.

2° Obiiciunt *geographicas* difficultates quibus ostendere nituntur recentiorem aetatem Pentateuchi. Itaque afferunt a) verba quibus incipit Deuteronomium: « Haec sunt verba quae locutus est Moyses ad omnem Israel *trans Iordanem*, » quae rursus occurrunt v. 5. Observant enim adversarii haec scribi non potuisse nisi ab auctore qui in Chanaan moraretur; respectu enim illius regionis campus Moab, ubi Moyses populum allocutus est, iacet revera *trans Iordanem*; sed Moyses qui ibidem mortuus est, et Iordanem nunquam transmisit scribere debuisset *cis Iordanem*.

b) Similis est obiectio ex locis ubi plaga occidentalis exprimitur per vocem יַמָּוֹת (*jammah*) idest *versus mare*, et מִיָּם (*mijam*) *ex mari*, prout scilicet designatur motus ab Oriente in Occidentem, vel viceversa (Gen. XII, 8, XXVIII, 14, Ex. X, 19, XXVI, 22 etc.). Porro, inquit Colenso, Davidson et alii, pro Hebraeis ac Moysae in peregrinatione deserti, mare non erat ad occidentem; ideoque geographica illa appellatio nonnisi post occupationem Palaestinae, idest post mortem Moysi, adhiberi potuit.

c) Gen. XL, 15, Ioseph in carcere constitutus ita loquens inducit: « Quia furto sublatum sum *de terra Hebraeorum*, et hic innocens in lacum missus sum. » Porro aetate Iosephi, et ipsa aetate Moysi haec scribi non potuissent, quia Palaestina nonnisi post Moysi mortem facta est *terra Hebraeorum*.

d) Tandem plura obiiciunt nomina locorum in Pentateucho obvia, quae dicunt esse Moysi aetate recentiora. Talia sunt: *Hebron* Gen. XXIII, 2; XXXV, 27, quod nomen originem habuisse dicunt

ex Hebron filio Caleb (Ios. XIV, 14, 15); item *Bethel* Gen. XII, 8, XIII, 3 etc. quod etiam dicunt recentioris originis esse, ex Iud. I, 22-26: antea enim urbs illa vocabatur *Luz*. Addunt nomen *Dan*, ad quam urbem dicitur pervenisse Abraham hostes persequens Gen. XIV, 14, cum tamen constet ex Ios. XIX, 47, et Iud. XVIII, 29 urbem illam, antea *Lais* vel *Lesem* vocatam, nomen *Dan* recepisse a Danitis, qui ea potius sunt diu post mortem Moysi.

Resp. Haec omnia minime demonstrant recentiorem originem Pentateuchi. Et quidem a) expressio illa *trans Iordanem* potuit aetate Moysi usurpari: siquidem imprimis vox hebraica עֵבֶר (*hever*) quae in textu recurrit significationem habet ambiguam, et potest tum citeriorem tum ulteriorem partem designare: per se enim nonnisi *transitum* significat a verbo עָבַר (*havar*) *transiit*: notant autem grammatici eam vocem cum praefixo *mem* generatim *trans* significare, cum praefixo autem *beth* pro *cis* adhiberi. In locis autem obiectis est praefixum *beth*: quod contra adversarios facit. Verum etiamsi vox illa necessario *trans* significaret desperata non esset causa. Potuit enim denominatio illa *trans Iordanem* propria esse illius regionis in lingua Hebraica usque ab ea aetate qua Abraham eiusque posterum in Palaestina morabantur, pro quibus reipsa regio illa erat *trans Iordanem*: semel autem recepta illa appellatio in usu populi non amplius mutata est etiam cum populus locum mutavit, ut saepe fieri solet. Ita ex. gr. Gallus quidam nos Italos *ultramontanos* dicere posset ex usu apud eos recepto etiamsi per accidens in Italia moraretur, et Hispanus poeta posset Italiam appellare iuxta usum receptum *Hesperiam* (seu occidentalem) quamvis geographice loquendo ad Orientem Hispaniae iaceat. b) Similis responsio dari potest ad alteram obiectionem desumptam ex voce יַם (*jam*) ad designandam occidentalem plagam adhibita. Nam praeterquamquod appellationes geographicae non tam accuratae fuerint apud Hebraeos, et mare mediterraneum aliquo modo ad occidentem erat Hebraeorum etiam cum in campestribus Moab consistentem, hoc, inquam, etiam omisso, potest haec forma loquendi explicari ex inveterato usu sermonis hebraici usque a Patriarcharum aetate. Exempla non desunt etiam in aliis linguis. c) Ioseph autem potuit appellare regionem unde ablatum fuerat *terram Hebraeorum* cum Hebraei ibidem multiplicari iam coepissent, et potentissimi essent, ut apparet ex. gr. ex historia Abrahami Gen. XIV, ubi ille solus cum suis

servis, quinque confoederatos reges profligavit, ac spoliavit, nec non ex Gen. XXIII ubi agitur de emptione speluncae duplicis ad sepulturam Sarae: tunc enim totus populus Hethaeorum plenam facultatem Abrahamo concedere volebat sepeliendi suam uxorem ob magnam erga eum reverentiam, quare et illum ita alloquuntur: « Audi nos, Domine; princeps Dei es apud nos, » idest, princeps excelsus et insignis. d) Quod attinet ad nomina *Hebron*, *Bethel*, *Dan* et alia, gratis assumunt adversarii ea post Moysen originem habuisse. Et imprimis de nomine *Hebron*, quod in citatis Geneseos locis datur urbi alias dictae *Cariath-Arbe*, adversarii probare nequeunt nomen illud originem habuisse ex *Hebron* filio Caleb. Nam *Hebron* non nominatur inter filios Caleb 1 Par. II, 42: *Hebron* enim ille ibidem nominatus cum dicitur « et filii *Maresa patris Hebron* » evidenter filius Caleb esse nequit: imo neque certum est illud esse nomen viri, nam eodem modo nominantur in contextu quaedam regiones ut *Ziph*, *Taphna* etc. In libro autem *Iosue* loc. cit. non dicitur tunc primum urbem *Cariath-Arbe* vocatam fuisse *Hebron*, sed credendum est illud nomen toti regioni diu proprium fuisse, postea vero primum nomen in desuetudinem abiisse, et alterum vulgo receptum. Idem dicendum de *Bethel*, et *Dan*. Ad primum enim quod attinet, nomen illud primo inditum est regioni a *Iacob* (Gen. XXVIII, 19) post visionem scalae ad coelum pertinentis, et post viginti septem annos ab eodem renovata est, et confirmata huiusmodi appellatio (Gen. XXXV, 1-7); cum autem *Iacob* circa eam regionem diu vixisset cum familia, *Hebraeis Iacobi* posteris nomen illud familiare evasit, quamvis *Chananaei* locum appellare pergerent pagano nomine *Luz*. Nec difficultatem faciunt verba *Iud. I, 22, 26*, ubi dicitur nomen *Bethel*, urbi datum esse ab *Hebraeis* post occupationem *Palaestinae*, hoc enim ita intelligendum est: quando *Hebraei* ad urbem illam expugnandam accesserunt eam nomine *Luz* appellatam invenerunt, quia scilicet adhuc a *Paganis* occupabatur; ea vero capta antiquum et *Patriarchale* nomen *Bethel* unice et absolute illi imposuerunt. Quod pertinet vero ad nomen *Dan* adversarii nunquam demonstrarunt urbem *Lais* seu *Lesem* nunquam vocatam fuisse *Dan* antequam tribus *Dan* illa potiretur, ut refertur *Ios. XIX, 47*, et *Iud. XVIII, 29*. Nonnulli difficultatem solvunt distinguentes duas urbes eiusdem nominis alteram quae nominatur in *Genesi* et *Deuteronomio*, alteram vero in *Iosue*, et *Lu-*

dicibus: ita *Lahn*, et *Hävernick*. Alii, ut *Ewald*, errorem librarium supponunt, ita ut nomen *Dan* pro *Lais* in textum irreperit. Verum probabilior erit responsio, regionem illam ad extremitatem borealem *Palaestinae* sitam prope *Phoeniciam*, quamvis vocaretur *Lais* aut *Lesem*, nomen etiam *Dan* a *Paganis* recepisse ob cultum cuiusdam divinitatis eiusdem, velsimilis nominis: hinc nomen ipsum *Jordanis* a *S. Hieronymo* et aliis dicitur compositum ex vocibus *leor* et *Dan*, idest, *flumen Dan*, quae tamen fluminis appellatio antiquior *Moysae* est, ut omnes concedunt. *Hebraei* ergo ex tribu *Dan* cum urbem illam cepissent, reiecto et oblivioni tradito vulgato nomine *Lais*, aliud nomen *Dan* minus usitatum adoptarunt, quamvis ob diversam rationem, scilicet in memoriam *Patriarchae Dan* eorum patris.

3° Obiciunt *archaeologicas* quasdam adnotationes; scilicet a) animadversionem illam quae legitur *Deut. III, 41*: « Solas quippe *Og rex Basan* restiterat de stirpe gigantum. Monstratur lectus ipsius ferreus, qui est in *Rabath* filiorum *Ammon* novem cubitos habens longitudinis, et quatuor latitudinis ad mensuram cubiti virilis manus. » Immo, observant adversarii, animadversio ista a recentiore scriptore tantum fieri potuit, non autem a *Moysae*, scribente pro *Hebraeis* qui gigantem illum viderant, et occiderant. Addunt b) quaedam alia in *Pentateuco* nominata ut ex. gr. *siclum Sanctuarii*, *Ex. XXX, 13*; *XXXVIII, 24, 25, 26*, quod videtur supponere epocham qua sanctuarium, seu templum, iam existerat: item varia nomina montis *Hermon*: « *Quem*, inquit, *Sidonii Sarion* vocant, et *Amorrhaei Sanir* » (*Deut. III, 9*).

Resp. Haec omnia facillime explicantur. Et quod pertinet ad lectum *Og* cur non potuisset *Moyses* illius dimensiones memoriae causa scripto mandare? Sane *Moyses* non pro coaevis tantum *Hebraeis* scribebat, sed et pro posteris, quibus inutile non erat hoc scire, ut inde noscerent quot qualesque hostes *Deus* in manus eorum dedisset. Deinde etiam si de coaevis sermo sit non est putandum universum populum gigantem illum aut eius lectum vidisse, praesertim cum hic apud *Ammonitas* servaretur, ut ibidem dicitur. Ad b) respondemus potuisse haec a *Moysae* commemorari; nam pro *Sanctuario* in hebraico textu est *קֹדֶשׁ* (*Kodesc*) quod proprie sanctitatem significat, quod vocabulum alteri nomini adiunctum rem illam sacram esse denotat. Quapropter *siclus Sanctuarii* idem est ac *siclus sacer*, scilicet sacris usibus destinatus. Si vero